



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Anspertvm Archiepiscopvm  
Mediolanensem. Respondet, abbatem, qui nullo comprobato crimine a  
regii coenobii praepositura depulsus fuerat, esse reuocandum; ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

Respondet, abbatem, qui nullo comprobato crimine a regii cœnobii præpositura depulsus fuerat, esse reuocandum; homicidam autem, & facinoris socium ab omni præpositura pellendum.

*Ioannes episcopus Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.*

**L**AVDAMVS sanctimoniam tuam, frater carissime, iustitiæ zelo feruentem: sed in promotionibus siue anti-  
fritis, siue abbatis, nil profecto aliud gerendum possumus  
exhortari, nisi quod sacri Canones sanciant, quos nulli  
sacerdotum licitum est ignorare, vel quidquam facere,  
quod patrum possit regulis obuiari. Verum quia in vtro-  
que filii nostri semper Augusti interfuisse perhibetur as-  
sensus, eius super hoc esse videtur expectandus aduen-  
tus: ad cuius cum tua sanctitas accesserit pietatem, credi-  
mus nil ecclesiæ Dei præter paternas regulas illaturam.  
Moderatio quippe sedis apostolicæ, & vniuersalis eccle-  
siæ dispositio, in hoc periculoso tempore pene cuncta dif-  
pensatorie moderanda compellit. Quamuis autem præ-  
senti sit exuli consulendum, nihil tamen est, non extante  
vlla necessitate, contra Canones patrum agendum. Ab-  
bas autem qui nullo comprobato crimine a regii est cœno-  
bii præpositura depulsus, eiusdem piissimi principis per-  
missu, precibus nostris tuæ sociatis industriæ, reuocandus  
est. Non autem solum homicidam, sed & socium homici-  
dæ ab omni præpositura pellendum decernimus. Hæc per  
paucis fraternitati tuæ scripsimus, ne sibi omnino rescribere  
superfedisse videremur. Ceterum, vt cum sancto Leone  
papa dicamus, Nos qui sacerdotum Domini matura vo-  
lumus esse iudicia, nihil possumus incognitis rebus in cu-  
iusquam partis præiudicium diffinire, priusquam vniuer-  
sa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Si enim (vt ait Apo-  
stolus) mediator vnus non est, qui sic vnam partem au-  
dit, vt alteri parti nihil referuet\*. Optamus, &c. Data III.  
Kalendas Martii, indiçtione decima.

*Galat. 3.*

\* *for. ali-  
quid de-  
cit.*

EPI-